



**Antiqvae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

IX. De apostata monacho bis à dæmone correpto, ac toties precibus & meritis B. Emmerammi liberato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

tam subitam & pernicem dextræ excelsi immutationem.  
Nautæ verò viribus resumptis gratias referebant Deo pariter & pro salute nec non miraculi quantitate. Ego autem gratificatus omnium bonorum fonti, quod meritis nostris nequaquam potuit fieri, deputabam patrocinij beatissimi Martyris Emmerammi. Per quem somnia & insomnia, qui non dormit neq; dormitat efficiat nobis innoxia, & concedat posse vigilare ad opera bona.

## IX.

Superiore quidem Capitulo perscripti, quod cucullato & monacho erat consolationi, hoc verò innectere libet quæ sint peruersis timori, ac nihilominus apostatis terrori. Fuit in R ATISBONA homo quidam nomine SIGIBERTVS, lege humana seu conditione liber, sed Christianæ veræq; libertatis indigus & æger. Hunc accepī fantasticis adeo infestatum præstigijs, ut nullatenus dormiens vel vigilans requiem habere posset, nisi se cucullatum apud sanctum Emmerammum fecisset. Quo perpetrato, dæmonum cessauit infestatio, & diuersa maligni impedimenta, Martyris prece sunt sopita. Verum ille miser & infelix post aliquot dies, defensoris oblitus, suggestionibus occultis consensit illius, qui in se apertè dominium perdidit inuitus. Questus ergò pro carnium olla in Ægypto relata & pœnitens quorundam se perpeti penuriam in monasterio, quorum paruam abundantiam falso reliquit in sæculo, monasticum depositum habitum cum illo ludibrio, quod vulgus iam habet in proverbio: Hinc hinc cucullum, non ultra grauabis collum; ob paupertatem monachorum celeriter mihi reuertendum ad lapidem coriorum. Hoc autem dixit, quia prius erat coriarus, seu calceamentorum sutor dolosus. Sed nequaquam diu gausus est se monachis ita illusisse. Nam non multo post maligno spiritui est

est traditus. Quo urgente nimis furibundus, & iam catenatus ad sanctum Emmerammum trahitur, ac in choro ad columnam ligatur, quo cum fratres conuenient, & pro eo flebiliter orascent, interdum clamore adstantes perterritendo saltabat, interdum supinus iacebat. Nonnullissime eum diabolus in aere suspensum tam diutinuit, quousque fidelium votis & maxime B. Emmerammi patrociniis ei succurseret maiestas diuinæ pietatis. Tunc demum relapsus in pavimentum per dæmoniacam discriptionem erecto collo cœpit euomere cruentem cum sanie. Quia cum plastrum horribiliter esset pollutum, spurcorum Princeps subito omnem spurcitiam inde auferens, secum ad vitream fenestrā sustulit, quam ob exitus signum comminuit, & sic inter spiritales nequitias, euanuit. Ille autem homo multos fecit annos in graui penitentia, exercens nudipedalia, in summa rerum miseria. Sancte Emmeramme à sancta Trinitate triplici hoc miraculo honorate, pro nostris intercede negligentibus, apud eum, cuius clementiam nulla mortalium superant delicta.

## X.

Inter innumera casuum humanorum infortunia valde miserabile ac magis fleibile videtur & est, quod in homines, quorum possessor esse debet Deus, ut propria domicilia intrat humani generis inimicus. Sed id reuera occulto & iusto sit Deus iudicio. Traduntur enim interdum huiusmodi propter peccata carnis in interitum satanæ, ut salvi sint spiritus in die dominici aduentus. Ex quorum unus Gestilivus vocatus, hospitibus pessimis permisus, nobilis genere, sed vbiq; miser multiplici dæmone, intus diaboli, foris catena ligatus terri, perplura Sanctorum loca mundandus deducitur, sed minime absolutus reducitur. Demum diuina miseratione hoc, uti voluit, di-

stante,

G 3